

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,
**HENRICVS MELCHIOR
SCHÜTTE, JCTUS,**

MEMORATÆ NEC NON PHILOSOPHICÆ FACULTATIS
ADSESSOR, JVR. EXTRAORDINAR. AC PHILOS.
CIVIL. PROF. PVBL. ORDIN.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.


pr. de actione finium regundorum.

J. M. L. Civ. Vol.

Diss. jur. civ.

22,14

FACHLEHRE DER THEOLOGIE
VON
HERRN
SCHMÜTZER
LEHRER DER THEOLOGIE
UND BRUCH DER THEOLOGIE
DRESDEN
RECTOR HERRMANN
S. P. D.



THEOLOGIE
VON
HERRN
SCHMÜTZER
LEHRER DER THEOLOGIE
UND BRUCH DER THEOLOGIE
DRESDEN



Cum nemo fere hominum suis se continere velit limitibus, sed illos omnibus modis prorogare contendat, ideoque in foris, teste STRYKIO *Us. modern. Pandect. libr. X. Tit. 1. §. 1.* nulla frequentior sit controversia, quam de finibus pristinis vel restituendis, vel novis constituendis, judici in istiusmodi generis controversiis dirimendis omni cautione ac circumspeditione opus est. Et quidem in controversiis finium, primum omnium, quaestio possessionis momentaneae summariter discutienda, eaque discussa, ad actionem petitoriam finium regundorum deveniendum est, BERGER. *Oecon. jur. Libr. 3. Tit. 6. tb. 4. not. 3.* illustris LEYSER. *Med. ad Pand. Spec. 114. Medit. 1.* Sed cujus sit indolis atque naturae actio finium regundorum, inter JCtos non convenit. Aliqui opinantur, eam esse actionem stricti Juris, inter quos numerandus SCHÜRZIVS *compend. jur. Lauterb. libr. 10. Tit. 1. §. 1.* qui provocat ad §. 28. *J. de act.* plures tamen dari actiones bonae fidei, praeter ibidem recensitas, probatum dederunt Praeceptores mei optimi, illustris JUST. HENNING. BOEHMERVS *in not. ad cit. Inst. §. & JACOB. FRIDER. LUDOVICI dissert. an species deroget generi cap. 3. §. 3. seq.* ac eam bonae fidei esse, complures statuunt. *Colleg. jur. Arg. libr. 10. tit. 1. tb. 38. & FRIDERICVS SCHRA-*

GIVS *Introd. in Pand. §. 11. b. t.* Hodie, quia iudicem pedaneum non amplius habemus, nec illius distinctionis usus esse potest. **JACOB. FRIDER. LVDOVICI** *Doctr. Pand. Libr. 12. Tit. 1. §. 5.* Deinde quidam istam actionem vocant mixtam, cum actor partim rem petat ex jure in re, v. e. dominio & hereditate, partim præstationem fructuum ex jure ad rem, sive quasi contractu, ne alter cum ipsius damno locupletetur **COCCEJVS** *jur. civil. controvers. Libr. 10. Tit. 1. quasi. 1.* Alii econtrario in primis **HVBERSVS** *Pral. ad Inst. Tit. de act. n. 22. §. Praelect. ad Pand. Tit. Fin. regund. n. 2. sq.* actiones mixtas ratione causæ efficientis & originis dari negant, & actionem hanc personalem esse existimant. Sed eam realem esse, & præstationes fructuum ac impensarum accessorie tantum concurrere, ex *l. 4. §. 9. ff. fin. reg. arg. l. 4. §. 2. si serv. vind.* patere, iudicat, atque hac de causa in determinatione fori ejusdem, ad forum rei sitæ recurrendum esse, colligit **JO. PAUL. KRESS.** *Spec. jurispr. priv. §. civil. Libr. I. Tit. 10. §. 4.* Duplex vero dicitur hæc actio, quia uterque ad iudicium provocare potest, qui tamen primus provocat, pro actore habetur, non ratione definitionis & decisionis, sed ratione ordinis & prioritatis *l. 13. ff. de jud.* **SCHACHER.** *Colleg. Pract. Libr. 10. Tit. 2.* Si uterque simul iudicem adeat, sorte res dirimenda, quod in omnibus actionibus duplicibus ita obtinet. Effectus vero hujus in eo consistit, quod regulariter utrique injungatur probatio. Si vero alter, qui provocatus est, intentioni actoris tantum contradicat, nec asserat, quousque se extendant fines, nihil probare tenetur. **STRVV.** *Spntagm. Jur. Civil. Exerc. 14. tb. §4.* Probatio finium fit, vel per testes senes, etiam de auditu deponentes **WERNHER.** *Part. 4. Obs. 137.* vel per documenta *l. 11. §. 12. ff. fin. reg.* quibus annumerantur signa ritibus solennibus ab **OETTINGERO** *Tract. de jur. §. controv. limit. ac finib. reg.* diligenter enarratis, ac consentientibus iis, quorum interest, olim constituta, lapides scilicet ova, uti ajunt, habentes **WERNHER.** *Part. 10. Obs. 438.* arbores, columnæ colles &c. vel etiam per conjecturas & præsumptiones, maxime eas, quæ a natura rei desumptæ sunt *l. 13. X. de probat.* Omnium optime autem expeditur probatio

tio

tio per ocularem inspectionem, vel petente parte, vel ex officio, a iudice rite susceptam. BERGER. *Oecon. Jur. Libr. 2. tit. 6. §. 3. not. 9. & Libr. 4. tit. 24. §. 8. not. 2.* WERNHER. *Part. 4. Obs. 234.* Hac peracta, ichnographia, quæ situm & fines accurate exprimit, actis inferenda est. Per ichnographias enim & schemata iudici facilius causæ cognitio redditur, & negotium maxime intricatum luci ante oculos exponitur laudatus BOEHMERVS *Consultat. & Decis. Jur. Tom. 2. Part. 1. Decis. 213. n. 4. sqq.* In hac actione illud singulare esse, vult GODOFR. BÖNIGK. *Digest. jur. civ. Rom. in ordin. natur. reduct. Libr. 4. Tit. 31. num. 5.* quod termini in controversiam vocati non decidantur & determinantur ex documentis, aus Rauff und Lehn-Briefen: ac, licet dicatur mixta, dominium tamen non probandum sit, sed a parte utriusque præsumatur, & quidem in tantum, ut is, qui alteri de dominio controversiam movet, plane non audiatur. Quodsi omnes modi probandi frustra tentati fuerint, novi limites constituendi, partibus præsentibus §. 6. *J. de Offic. Jud.* vel contumaciter absentibus l. 3. *C. l. 3. §. 1. ff. fin. reg.* Dominium partis adjudicatæ hic statim transit. HOPP. *ad §. fin. J. de Offic. Jud.* Supponit hæc actio confusionem finium, quæ solum contingit in prædiis rusticis confinibus l. 4. §. 10 *ff. fin. reg.* non in urbanis, utpote quæ parietibus distinguuntur. Utrum dolo, an culpa, vel casu confusio oriatur, perinde est, adversus eum tamen, qui dolo terminos movit, criminalis etiam locum habet persecutio & pœna arbitraria, imo utriusque & civilis & criminalis remedii cumulatio hoc in casu permittitur SCHILTER. *Prax. Jur. Rom. in for. German. exerc. 70. tb. 23.* Is vero, qui pendente finium controversia, aliquam partem fundi vicini invadit ex constitutione Imperatoris CONSTANTINI in l. 4. *C. fin. reg.* partem occupatam non tantum, sed etiam tantundem de suo restituere tenetur. In praxin hujus legis, quam paucis SAM. STRYKIVS *Us. modern. Pand. libr. 10. Tit. 1. §. 15.* perstrinxit, ex instituto inquirerem, nisi mihi otium facere constituisset

NOBILIS ET CLARISSIMVS JURIVM
CANDIDATVS,

DN. CHRISTIANVS AVGVST.
REICHEL,

ADVOCATVS DRESDENSIS,

qui recitatione solenni, quam lectionem cursoriam vocant, eam illustrabit, ac argumenta, quæ in utramque partem adferri solent, imo excogitari possunt, ad unum omnia paulo curatius recensabit. Cum adeo amplius sit studii juris campus, ut multa ferre, facereque, sudare & algere, & quicquid illi temporis ad vivendum datur, non in voluptatibus, deliciis jocosque ponere, sed in laboribus transigere debeat, qui optatam cursu contingere metam studet, operæ pretium erit, strictim commemorare, qua ratione studii juridici curriculum inire, illudque a carceribus, ut dicitur, ad calcem decurrere, ipsi placuerit. Natus est die 23. Maji anni hujus seculi primi, Camentia, quæ urbs ad Hexapolin Lusatia superioris pertinet, honestissimis ac integerrimis parentibus, patre JOANNE GEORGIO REICHEL, juris Practico ibidem felicissimo, ac matre, ANNA REGINA, JOANNIS WAGNERI, consulis ejusdem oppidi filia, foemina cunctis virtutibus, quæ in sexum sequiorem cadunt, conspicua. Literis, quæ ab humanitate nomen acceperunt, tam in schola patria, quam in Gymnasio, quod tunc temporis Rectore BEHRNAVERO, Budissæ florebat, operam navavit sedulam. Exacto ibidem triennio, Lipsiam almam illam studiorum marrem, se contulit, ac non solum per integrum lustrum philosophiam omnem & historiam ibidem sibi reddidit cognitam atque perspectam, sed & collegiis

legiis juris publici & privati Professorum longe celeberrimorum, CAR. OTT. RECHENBERGII, nunc Collegii juridici Ordinarii meritissimi, CHRISTIAN. GODOFR. HOFFMANNI, postea Ordinis Jctorum in Academia Viadrina Ordinarii, JO. FLOR. RIVINI, aliorumque magno cum fructu interfuit. Inprimis fratris germani, JOANN. GOTTL. REICHELII, qui olim in eadem academia jura extra ordinem docuit, summam diligentiam ac germanam fidem laudat, & ei se multum debere, grata mente fatetur. Coronide studiis academicis imposita, examen Ordinis Jctorum Lipsiensium pro praxi sustinuit, ac ab eodem profectuum suorum testimonium die 7. Junii anni MDCCXXX. impetravit. Deinde oblata occasione satis commoda, edicto Potentissimi ac Serenissimi Sarmatarum Regis & Electoris Saxoniae, Domini sui longe clementissimi, publici juris die 13. Octobr. anni MDCCXXXIII. facto, quo studia, virtutes ac artes describuntur, quibus praediti ac ornati esse debent, qui ad dignitates in collegiis publicis adspirant, demississimo ac subjectissimo animo obtemperaturus, Vindobonae ac Wezlariae, praecos, quae in summis Sacri Romano-Germanici Imperii tribunalibus usu est recepta, addiscendae causa, per triennium fere commoratus est. Ex isto itinere redux, haecque scientia auctus locupletatusque praestitis die 30. Novembr. ann. MDCCXXXIV. praestandis, ad causas in foro orandas admissus est. Tandem apud nostrum Ordinem nomen suum est professus, ac consuetis Candidatorum specimenibus se submitit. Annuimus votis honestissimis, ac textus ex utroque jure, Canonico pariter ac civili, cum eo communicavimus, quos docte non solum resolvit & enodavit, sed

sed & in ipso examine talem se nobis probavit, ut omnium suffragiis dignus iudicatus fuerit, cui summa in utroque jure privilegia, in eruditionis auctoramentum decernerentur. Ea de causa, proximo die Mercurii, finita lectione cursoria, dissertationem inauguralem, quam

DE
RITE CONSTITVENDIS
QVATVOR CASIBVS

CIRCA
MANDATA SINE CLAVSVLA

vulgo

Auf die vier Fälle

**QVÆ CORAM SVMMIS TRIBVNALIBVS SACRI RO-
MANI IMPERII FREQVENTANTVR**

inscripsit, a dissentientium dubiis, sine Præside, vindicabit. Quos actus solennes, ut Magnificus Dominus Rector, nec non reliqui Academiæ Proceres ac cives honorifica sua præsentia illustriores ac splendidiore reddere velint, & nostri Ordinis & meo nomine, ea, qua par est, observantia ac humanitate, oro rogoque. Publicatum sub Sigillo Facult. Jurid. Dominica Oculi A. O. R. MDCCXLVI.



